Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

est. et factus est subditus usque ad mortem. mortem autem crucis. propterea et
deus exaltavit a mortuis. et donavit ei nomen quod est super omne nomen. ut in nomine Iesu
omne genu flectatur. celestium. terrestrium et infernorum. et omnis lingua confiteatur.
quia dominus Iesus Christus in gloria est dei PATRIS.

Explicit de psalmo c.viiii. Incipit de psalmo c.x.

VENERVNT DIES. ut cantemus alleluia. Adestote animo
fratres ad percipienda que dominus suggerit ad exhortationem nostram et
nutriendam caritatem. qua nobis inherere deo bonum est. Ades-
tote animo cantatores boni. filii laudis et glorie sempiterne.
veri et incorrupti dei. Adestote intenti qui nostis cantare et
psallere in cordibus vestris domino. gratias semper agentes in omnibus. et laudate deum.
hoc est enim alleluia. Et hi quidem dies veniunt transituri. transeuntque venturi.
et significant diem qui non venit et transit. quia nec hesterno preteritur ut veniat. nec
crastino urgetur ut transeat. Ad quem sane nos cum venimus inherentes ei. nec
nos transibimus. et sicut quodam loco cantatur deo. beati qui habitant in domo tua.
in secula seculorum laudabunt te. hoc erit otiosorum negotium. hoc opus vacantium.
hec actio quietorum. hec cura securorum. Sicut enim dies isti preteritis diebus
quadragesime quibus ante resurrectionem dominici corporis vite huius significatur
meror. sollempniter grata hilaritate succedunt. sic dies ille qui post resurrectio-
nem dabitur plenario corpori domini. hoc est sancte ecclesie. cunctis vite huius erump-
nis atque doloribus exclusis perpetua beatitudine succedet. Hec autem vita
de nobis continentiam exigit. ut et cum labore atque luctamine ingemiscen-
tes gravati. et habitaculum nostrum. quod de celo est superindui cupientes a secu-
laribus delectationibus temperemus. et significatur quadragenario numero. quo
moyses et helyas. et ipse dominus ieiunaverunt. Precipitur enim nobis et ex lege. et
ex prophetis. et ex ipso euangelio. quod testimonium habet a lege et prophetis. unde etiam in
monte inter utramque personam medius salvator effulsit. ut ab omnibus mundi ille-
cebris. quibus captivi homines obliviscuntur deum. aviditatem nostram tamquam
ieiunio temperantie refrenemus. quamdiu perfectio decalogi legis tamquam psal-
terium decem chordarum per quattuor eiusdem mundi partes id est toto orbe predicatur.
ut decem quater ducta quadragenarium numerum signent. Quinquagenario vero
numero post resurrectionem domini quo cantamus alleluia. non cuiusdam temporis finis et transi-
tus. sed beata illa significatur eternitas. quia denarius additur quadragenario. la-
borantibus in hac vita fidelibus merces illa persolvitur. quam et primis et novis-
simis pater familias preparavit equalem. Audiamus itaque divina laude ple-
num pectus populi dei. Ecce personat in hoc psalmo quendam exultantem felici